

rum Marchionum, ita quidem ut omnem Theloneum (8) & omnem functionem publicam, quæ ad nostram regiam partem exigere debuit, vel potuit ad partem ipsius Novariensis Ecclesiæ præsul, qui ibidem pro tempore ordinatus fuerit, ad utilitatem ipsius Ecclesiæ Novariensis vindicet, & exquirat omni publica repetitione, vel . . . occasione remota. Si quis autem hoc nostræ auctoritatis præceptum violare tentaverit, quinquaginta libras auri optimi componere cogatur medietatem palatio nostro, & medietatem parti ipsius Novariensis Ecclesiæ, quod ut verius credatur, diligentiusque observetur, manu propria roborantes ex annulo nostro iussimus insigniri.

Subscriptum cum signo regio videl. signum Domini Berengarii invictissimi Imperatoris Augusti.

It. subscriptus Hermenfredus Domini Imperatoris Capellanus ipsius imperiali iussione recognovi.

Datum XV. Kalen. decembris anno Domini Incarnationis DCCCC XVII. Domini vero Berengarii 20
ferenissimi Regis XXVIII. imperii autem sui IV.
Ind. V. (9) Actum Papiæ in Christi nomine feliciter amen.

(1) Hic, cujus in diplomate Berengarii frequens mentio, Marchio Foroiuliensis fuisse existimatur.

(2) Hic erat comes sacri Palatii, ac Marchio, de quo Murat. Ann. d' It. an. 921. Julinum Mem. Stor. di Mil. T. 2. p. 139. 145. 154. Hinc corrigendus error Caroli a Basil. S. Petri, qui in sua Novaria sacra p. 293. de hoc diplomate verba faciens Adelridum exscripsit, cum in autentico exemplari, a quo humanitate amicissimi viri Dallegre Vic. Gen. Novar. Episc. hoc exemplum summa fide desumptum habui, legatur Odelricus, sicuti habent alia Murat., & Jul. prolata.

(3) Locus videtur fuisse, ubi nunc Ecclesia est S. Agabii extra urbem Nov. Sac. p. 393.

(4) Secundus post S. Gaudentium Episcopus Novaria, scilicet ab anno 420. ad 440. Nov. Sac. p. 253.

(5) Cadultus tertius ante Dagibertum Episcopus 40
corpus S. Agabii transtulerat in Ecclesiam Cathedrallem circa an. 890.

(6) B. Julianus obiit VII. Id. Januar. an. 391., ut habent acta MSS. a Michaele Julino edita in lib. vita e Miracoli de SS. CC. Giulio, Giuliano. Ejus festum hac eadem die nunc usque celebratur, ut ex officio Ecclesiæ Novar. 1762.

(7) In Ecclesia S. Laurentii Gaudiani, ex qua an. 1360. sacrum ejus corpus in Ecclesiam collegiatam fuit translatum, ex quo patet falsum esse Julinum 50
dum cap. VII. p. 55. vitæ illorum SS. asserit sub titulo S. Juliani ab anno usq. 600. ædificatam Ecclesiam collegiatam. Ex hac enim charta patet hoc adhuc anno ejus corpus in Plebana S. Laurentii Ecclesia mansisse.

(8) Portorium, vectigal pro transitu, vel advectione mercium.

(9) In apographo scriptum erat VIII. manifesto errore, forte quia in primo exemplari erat hic numerus hoc modo notatus IIIII.; unde ex duobus primis lineis factum fuit V., cujus erroris multa passim 60
prostant exempla.

Donatio a Walperto facta Restaldo
Aquensi Episcopo.

DCCCCXXXVI.

In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Hugo gratia Dei Rex, anno regni ejus undecimo, & Dominus Hlotarius filio ejus . . . octavo Kal. junii, indictione octava feliciter (1). Manifestus sum ego Walpert Clericus filius quondam Falcoaldi eo quod ante multos annos obligatione facta habui cum Bodone Barbano meo, ut . . . nec ego, nec ex meis hæredibus sine jussu ejus, vel de ipsius hæredibus de rebus nostris alienare, aut obligare deberemus, quas ipse Bodo fecit in Ecclesia sanctæ sedis Aquensis, ubi Dompnus Restaldus nunc præesse videtur Episcopus (2) . . . in nullo alio possum de rebus meis donare, nisi in ipsa Ecclesia supradicta. Ideo ego indignus hodie in Dei nomine do, dono, trado, & offero in ipsum sanctum, & venerabilem locum quicquid nunc præsentis die habere visus sum tam casa habitationis meæ, quæ est in loco fundo Calamagna (3) . . . terra, pratis, pascuis, salcietis, sationibus . . . omnia quicquid habere visus sum in sationibus . . . omnia quicquid habere visus sum in ipsum sanctum locum . . . (reliqua fugerunt).

Signum ✠ manus Walpert Clerico, qui hanc chartolam fieri rogavit, & nomen suum, & signum . . . crucis manibus suis fecit, & ei relecta approbavit. Signum manus (hic desunt quatuor lineæ) . . .

Ego Walpert Notarius, & Judex Sacri Palatii post a testibus roborata, tradita, complevi, & dedi.

(1) Notæ istæ haud conveniunt inter se. Anno enim Hugonis XI. currebat indictio IX. Indictione vero VIII. erat annus X. Cæterum quacumque in re erratum hic sit; illud tamen in illa alterutra hypothese constat, quod maxime animadvertendum, hinc erui, quò die plus minus in Regem electus fuerit Hugo, ac in Basilica Ambrosiana coronatus, quod usque nunc ignotum fuit. Murator. in Ann. solum in genere notavit circa junii tempora vel maii. an. 926. in Regem electum. Tiraboschi vero in notis ad docum. h. a. demonstravit inter X. Kal. majas & VII. Id. quintilis collocandam electionem esse, hic vero constat ante VIII. calendas junii illius anni contigisse, adeo ut in hac charta juxta præf. hypothese post illum diem novus annus regni computaretur: ac si libet hoc semel posito ulterius progredi, puto ego coronationem X. vel XI. cal. junii statuendam esse; cum enim solemnitates istæ diebus festis celebrarentur, hocque anno in illos dies festum Pentecostes incidere, ideo verisimile mihi videtur illis diebus assignari coronationem posse.

(2) In meo Episcoporum Aquensi catalogo XV.

(3) Antiquum oppidum in Territorio Morfaschi ab hoc vix mille passuum intervallo distans. Sum sit nomen a torrente Calamagna hoc vocabulo ad hæc usque tempora ab incolis nuncupato. Ex decreto Anselmi Episcopi an. 1222. discimus, ab Hugone, & Lotario Imperator. Plebem Calamagnæ Episcopo Aquensi ejusque Ecclesiæ, ac Canonicis diplomate peculiari attributam, quod temporum injuria deperditum dolemus.